



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118626

§. 91. Colinii cum Guisiis reconciliati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

pographo, ut in hoc eventu suum nomen, domicilii locum, necnon ipsummet domicilium apponat, atque inferat, sub omnium bonorum proscriptione, ac castigationis pœna. Denique in articulo octogesimo sexto omnes blasphemix, & juramenta in Dei nomen vetantur, simulque mandatur, ut jurantes, & Blasphemi non modo pecuniarum multa, sed etiam corporis pœna coerceantur, hacque re judicium honor, ac conscientia onerata censeatur.

Sæcul. XVI.
A C. 566.

§. XC.

Hoc edictum in Senatu confirmatum.

Hoc edicto ad Senatum transmissio, reque maturius perpensa quorundam opinio eo abibat, ut quibusdam hujus edicti articulis obluētandum esset: verum Rex Parisios reversus die decima Julii novas misit literas, quibus ad propositas difficultates respondit: recitatis itaque hisce literis edictum die vigesima tertia Julii fuit approbatum, addita tamen licentia, vi cujus circa hasce difficultates amplius apud Regem intercedere liceret.

§. XCI.

Colinii cum Guisfis reconciliati.

Priusquam Rex cum Aula sua Mulinum proficiscebatur, ejus jussu Colinii

Thuan. l. 39.

Sæcul. XVI
A. C. 1566.

linii cum Guisiis specietenus fuere reconciliati: porro hæc concordia inter Annam Atestinam Guisiani defuncti Ducis viduam, & Carolum Lotharingium Cardinalem fratrem una ex parte, nec non inter Colinius ex altera fuerat inita, ideo etiam, ut hæc conciliatio fieret, præcipue Mulinensis conventus celebrabatur. Ibidem Colinius maris Præfectus solemniter jurabat, quod in Guisii Ducis necem nunquam confenserit, nec illius author exstiterit: postquam igitur Rex inter eos pristinam amicitiam restaurari, ac solidam pacem coli iusserat, hi in mutuos amplexus præsentis Rege ruebant, ac vicissim plenam præteritorum oblivionem spondebant.

§. XCII.

*Parisiense colloquium inter Catholicos,
& Protestantos.*

Thuan. l. c.
Belieforet
l. 6. cap. 103.

Rex Parisios redux decrevit gratiarum actionem instructo supplicum ordine, qui a sanctæ Genovesæ Ecclesia usque ad Cathedralis procedebat, eique ipsemet Rex unacum tota Aula sua intererat: sequenti autem Mense Julio Parisiis in ædibus Nivernianis inter Catholicos, & Protestantos disputatio instituta est, sollicitante Ludovico Borbonio Montpensero Duce Regii Sanguinis